



BULLA BONIFATHII PP. IX
FACULTATEM THEOLOGICAM IN STUDIO GENERALI
CRACOVIENSI INSTITUENS

Bonifacius episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. / Eximie devotions affectus, quem carissimus in Christo filius noster Wladislaus Rex et carissima in Christo filia nostra Hedwigis Regina / Polonie illustres ad nos et Romanam gerunt ecclesiam, promeretur, ut votis eorum, illis presertim, per que divini nominis et / fidei catholice cultus protenditur, iustitia colitur, tam publica quam privata res geritur utiliter, omnisque prosperitas humane conditionis / augetur, favorabiliter annuamus. Cum itaque sicut exhibita nobis nuper pro parte dictorum Regis et Regine petitio continebat, in eorum civitate Cracoviensi ex statuto et ordinatione sedis apostolice ab olim fuerit atque sit in utroque iure et alia qualibet licita facultate, preterquam in sacra theologia, studium generale: pro parte Regis ac Regine predictorum nobis fuit humiliter / supplicatum, ut in civitate predicta statuere et ordinare huiusmodi studium generale etiam in ipsa theologia de benignitate / apostolica dignaremur. Nos igitur huiusmodi supplicationibus inclinati auctoritate apostolica tenore presentium statuimus et etiam / ordinamus, quod in ipsa civitate exnunc inantea perpetuis futuris temporibus sit ac esse valeat etiam in eadem theologia huiusmodi studium generale, cui presit is, qui eidem studio hactenus prefuit ab antiquo. Et nihilominus de uberioris do/no gratie concedimus, quod studentes et regentes pro tempore in ipso studio in eadem theologia, ac bacallariatus, licentie vel / doctoratus gradum ibidem suscipientes, omnibus privilegijs, libertatibus, prerogativis et indulgentijs gaudeant et utantur, quibus quacunque auctoritate concessis in eadem theologia studentes, regentes et similes gradus Parisiis suscipiens / gaudent ac etiam quomodolibet potiuntur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, ordinatio/nis et concessionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem / omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Rome apud Sanctum Petrum / III Idus Ianuarii, pontificatus nostri anno octavo.